

*censeri probabilis; dum non constet rejectam esse a sede Apostolica tanquam improbabilem.* Quid tamen de auctore unico quidem, sed omni exceptione majore, dici possit, vid. in Tr. de Act. hum.

236. *Respondeo II.* Auctoritas THEOLOGORUM et CANONISTARUM nec semper crescit ex numero; nec major etiam, si contradicant alii, est irrefragabilis. *Ratio primi* est; tum quia in utraque disciplina, ubi auctores non sunt meri testes traditionis aut praxis, non tam numeranda quam ponderanda sunt suffragia: tum quia numerum subinde faciunt vel jussi jurare in verba scholæ aut magistri, vel soliti præeuntem sequi turmatim ut grues aut oves, vel dotibus non pollentes aut quandoque cum bono Homero dormitantes: quorum primi auctoritatem duntaxat sui magistri obtinent, medii absque examine proruentes vix ullam merentur, postremi illam vel non possident vel amittunt. *Ratio secundi* est; tum quia Theologorum et Canonistarum auctoritas nunquam est æqualis auctoritati Patrum, sed inferior: tum quia scholæ sæpius integræ opponuntur scholis, atque in pugna hujusmodi etiam inæquali auctoritas Doctorum ad faciendam fidem plus non valet, quam ratio illorum probet: tum quia patet experientia, sententias olim multorum jam antiquatas, paucorum autem invaluisse. Itaque argumentum ex auctoritate multorum, seu unam scholam conficientium seu ex diversis in aliqua opinione consentientium, contra alias scholas aut viros graves alios, non est certum, ac sæpe ne probabilius quidem. Præterea

Sequitur 1º. præjudiciis illos male abripi, qui alterius vel scholæ vel opinionis viros aut doctrinam vituperant, aut notis facile impetunt: 2º. observandum etiam esse ab Ecclesiarum præsidibus monitum illud, quod Benedictus XIV. Lib. 7. de Syn. Diœces. c. 11. §. 2. circa contententes inter se Theologos præscripsit.

237. *Respondeo III.* Auctoritas THEOLOGORUM aut CANONISTARUM in sententia, quantumvis ab Ecclesia nondum definita, conspirantium est tanta, ut illi refragari sit temerarium. *Ratio* est; tum quia imprudentiæ aut insolentiae genus videtur, nolle acquiescere concordæ peritorum suffragio: tum quia res satis perspicua censeri potest, in qua diversarum scholarum sectatores aut alia in cæteris passim dissentientes conveniunt: tum quia Conc. Viennense ob concordem suæ ætatis Theologorum sententiam, rem licet sub opinionis tantum gradu assertam, proposuit tamen omnibus tenendam. Hinc quod in notata etiam materia ex concordæ Theologorum aut Canonistarum sententia fit argumentum, vel moraliter certum est, vel saltem unice probabile.

Est tamen 1º. cavendum, ne unanimis Doctorum consensus nimis confidenter aut temere asseratur; nisi saltem inspectio præcipuorum aut magis celebrium auctorum de reliquis id contestantium fidem fecerit: sicut nec curandum, si unus aut alter obscurioris nominis auctor, absque efficacibus rationibus et responsis, contra torrentem nitatur et extra chorum communem saltet. 2º. Observanda est auctorum sive asserentium sive contrariantium ratio enuntiandi, an absolute scilicet edisserant ac simpliciter, an cum modo: an tanquam de fide; fidei proximum, certum, probabilius, probabile etc.

238. *Respondeo IV.* In iis, quæ ad fidei dogmata aut morum principia pertinent, indeque indubie deducuntur, unanimis THEOLOGORUM sententia majorem etiam auctoritatem habet ac tantam, ut eidem contradicere saltem hæresi aut errori proximum videatur. *Ratio* est; tum quia unanimis ejusmodi consensus est testimonium plusquam probabile, articulum, in quem consentitur, esse traditum; *Quod enim*, ut TERTUL. L. de Præscript. ait, *apud multos unum invenitur, non est erratum sed traditum*: tum quia sententia Theologorum concors, et erronea, in errorem induceret Ecclesiam; sive quod ejus Pastores docendo, prædicando, et adhortando ovibus instillarent unanimia Theologorum asserta: sive quod Ecclesia nunquam repudiet concors Theologorum placitum, sic tamen statuente Can. 3. Dist. 83., *errorem, cui non resistit, approbaret, et veritatem, quam non defendit, opprimeret*. Inde patet, argumentum ex ejusmodi unanimi conspiratione depromptum omnino pro certo esse habendum.

Neque pro hac auctoritate necessarium est CANONISTARUM suffragium; quia quod Melch. Canus L. 8. de Loc. Theol. c. 7. inquit, in his, quæ ad fidem pertinent, Jurisconsultorum auctoritate Theologus non eget: quin potius eorum titulorum expositionem Legis peritus a Theologo mutuari debet. Eandem in rem Benedictus XIV. tum Card. Dominici Pinellii sententiam adducit, tum ipse enuntiat Instit. Eccles. Inst. 57. scribens, ad Theologum pertinere, dogmata proferre in medium atque de illis disputationem instituire; Canonum interpretem autem ea habere pro certo, et ea Theologia desumpta. Quibus dictis simile aliud in Præf. ad Comment. de Fest. Domini videre licet.

239. *Observa.* Facultates suis in censuris ac responsis eadem gaudent auctoritate, quam Theologis aut Jurisperitis pluribus supra tribuimus. In his tamen Facultatibus sententiis, pro merito æstimandis, attendere oportet 1º ex parte rei, ad rationum momenta, queis nititur doctrinale iudicium: 2º ex parte iudicii; an fuerit unanime, legitime latum, etiam liberum tum a præjudicio Scholæ, tum a dominatu cujuscumque sive intra sive extra congregationem erga consultantes prævalentis: 3º ex parte personarum; an suffragatores sint numerosi, an eruditionis ac sapientiæ fama floreat, an valeant usu rerum et experientia etc.

### CAPUT III.

Rationem humanam, contra, ac in tractatus ingressu factum est, Historiæ præponimus, eo quod ampliores quam alias usus habeat, et diffusa ad scientias significatione, illam hic accipere materia superstes jubeat. Constat autem Rationem humanam sub hac latitudine sumptam non minus ac historiam a sacris Libris distinctam locos Theologiæ extraneos constituere et ex alienis disciplinis assumptos: unde de utraque dicturi duntaxat sumus uni-

versim et breviter, adjecta sub finem recensione hæresum ac propositionum damnatarum, quæ pars historiæ, præter alias in superioribus jam expositas, potissimum Theologiæ conducere potest.

## ARTICULUS I.

*Quænam sit Rationis humanæ utilitas et cautio in Theologicis?*

249. *Nota.* RATIONIS HUMANÆ nomine tum congenitam cognoscendi verum potentiam seu facultatem naturalem ratiocinandi, tum naturale medium cognoscendi verum indicare licet. Medium hoc naturale triplex præcipue deprehenditur: *Philosophia* scilicet, quæ rerum sive in essendo sive in cognoscendo causas naturales investigat et prodit; *Juris Naturæ cognitio*, quæ innata justitiæ principia honestati morali superaddit; *Jurisprudentia Civilis*, quæ quamvis plurimum ex libera imperantis voluntate habeat, æquitatem tamen naturalem ubique sectatur aut supponit. De facultatis rationalis viribus agendique modis supervacaneum foret, post logicæ rudimenta hic disserere. Quænam sit Philosophiæ notio et amplitudo, quæve illius sint partes seu theoreticæ seu practicæ, æque vel physica vel moralia spectantes, prænosci a Theologo, ante accessum ad sacram scientiam, debent. Unde si qua notitia adhuc exigitur, ea de Jurisprudentia tum naturali tum civili danda est. Sed enim de Jure naturali, officiisque erga Deum, seipsum et proximum, naturali ac indispensabili obligatione debitis, horumque principii tum constitutivis tum cognoscitivis saltem agitur in Tract. de Legibus aut de Jure et Justitia: de Jure civili autem, quamvis particulare illud ac pro variis civitatibus vel regnis sit varium ideoque minus cognoscendum, ut tamen commune est receptum a pluribus, ex corpore Juris Justinianei haud difficulter perspicitur.

Præter Gregorium et Hermogenem Ictos Romanos, ediderat quidem an. 435. Theodosius Junior Orientis Imperator Legum civilium collectionem libris sexdecim distinctam, quæ ab Eodem *Codici Theodosiani* nomen accepit: prævaluit tamen postmodum Opus, quod universum jus Romanum complexum post Imperii sui exordia an. 528. posita Justinianus itidem Imp. Orientis colligi curavit, post varias autem vicissitudines Maximilianus I. per Recessus Imperii etiam Germaniæ observandum præscripsit. Corpus hoc juris, a suo editore *Justinianæum* dictum, continet Institutiones, Digesta seu Pandectas et Codicem repetitæ lectionis an. 533. simultanea promulgatione confirmatas, nec non Authenticas seu Novellas an 559. publice dein additas.

*Institutiones*, quæ sunt velut elementa civilis Jurisprudentiæ, versantur circa jus triplex, Personarum scilicet, Rerum et Actionum: constant libris quatuor, divis in titulos nonaginta novem, qui secantur in Paragraphos.

*Digesta* seu *Pandecta* secundum rem et nomen digerunt et comprehendunt præcipua de plerisque Juris quæstionibus antiquorum Juris Consultorum placita; definiuntur Libris quinquaginta; qui in Titulos quadringentos et amplius, sicut hi in Leges dividuntur; ne quid dicam de Digestorum divisione, alia in septem partes ab Imp. Justiniano, alia in duo volumina ab Irnerio, alia in Jus vetus, Infortiatum seu intermedium, et novum a Bulgaro, Bononiensibus sec. duodecimi jurisperitis facta.

*Codex* complectitur constitutiones Ethnicorum æque ac Christianorum Imperatorum ex Gregoriana, Hermogeneana et Theodosiana Collectionibus compilatas, adjectis tum antiquorum ibidem omissis, tum novis Theodosii ac succedentium Impp. editis legibus: his in repetita lectione, h. e. secunda editione auctoritativa, accesserunt quinquaginta Decisiones Justiniani cum novis constitutionibus; tandemque postea insertæ sunt authenticæ, id est derogationes vel confirmationes legales, quas vel ex Novellis Justiniani vel ex Friderici primi ac secundi Impp. constitutionibus desumptas minore litterarum caractere inspersit auctor incertus. Conflatur autem Codex ex Libris duodecim; libri ex Titulis pluribus ultra septingentos; Tituli ex Legibus et authenticis.

*Authenticæ* seu *Novellæ* vocantur constitutiones, quas post tres priores Juris partes conjunctim editas ab anno scilicet 533. ad an. 559. usque varias condidit. Earum in Juris Corpore extant centum sexaginta octo, non tamen observato temporis ordine: Collectio ista dispescitur in Collationes novem; collationes secantur in Titulos, quorum singuli singulas Novellas proponunt; Novellæ exhibent Præfationem, Legem et Epilogum; Lex sæpius in capita scinditur.

Ad calcem memoratarum Juris civilis partium apponuntur aliquando varia Imperatorum *Edicta* et *Novellæ* Constitutiones item et *Feudorum* consuetudines libris quinque comprehensæ, *Leges duodecim Tabularum*, *Fasti consulares* et alia, quorum tamen vis exolevit.

241. *Dico I.* RATIO HUMANA, accepta pro facultate rationali, non utilis solum est, sed et necessaria Theologo. *Ratio* est; tum quia facultas hæc juxta Psal. 4. est quædam luminis divini participatio homini concessa ad comparandam veritatis cognitionem; hac vero sublata, ut CANUS L. 9. de Loc. Theol. c. 4. inquit, « Non dico inter rusticum et Theologum, sed inter Theologum et pecudem aut saxum etiam aut truncum nihil interest: » tum quia sine rationis naturalis usu conclusio Theologica nulla haberi potest; utpote quæ propositionem naturaliter certam et perspicuam inter præmissas exigit: tum quia illius subsidium requiritur, ut quis comprehendat exponatque motiva credibilitatis; percipiat et teneat substantiam saltem articulorum fidei; paratus denique sit ad satisfactionem omni poscenti rationem de ea, quæ in nobis est, spe fundata scilicet in fide, ut 1. Pet. 3. v. 15. dicitur.

Cavendum tamen 1° ne ratio naturalis rapiat sibi partes primas, sed discat servire, sequæ in captivitatem redigi in obsequium fidei: 2° ne eadem pro mensura credendorum adhibeatur; cum plura mysteria sint supra naturam, possitque Deus plura facere, quam capere humana ratio: 3° ne præidentior sit sibi que nitatur, aut ductum auctoritatis respuat; ne curiosa nimium in altissimas res penetrare præsumat; ne frivola denique sit, et inanes ac otiosas quæstiones immisceat materiis Theologicis.

242. *Dico II.* RATIO HUMANA, sumpta pro Philosophia, suam in Theologicis utilitatem habet. *Ratio* est; tum quia servit ratione Hermetiæ ad legitimum verborum et propositionum Theologicarum sensum, ratione syllogisticæ ac Methodi ad probationem et convictionem fidei, ratione Naturalis scientiæ ad Parabolarum, Historiarum ac Descriptionum sacrarum expositionem, ratione

Ethices ad virtutum vitiorumve tractatum: tum quia juvat ad edocendos gentiles, convincendos Naturalistas et Atheos, refellendos Sophistas, delectandos eruditos, instruendos rudes etc.; quo consilio et Patres plerique in suis scriptis, et post D. Thomam Theologi suis in Summis aut sententiarum commentariis multum philosophati sunt.

Curandum tamen 1°. Ut PHILOSOPHIA sit vera in principiis, adeoque hæc nihil negent aut statuunt universaliter circa superiora naturæ; quia fides de potentia Dei, Trinitate et Eucharistia, hujusmodi assumpta plura declarat falsa, v. g. Nihil ex nihilo fit; Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se; Exactum sensuum omnium testimonium non fallit etc.: 2°. Ut sit sana in doctrinis, quæ proin non repugnent rectæ rationi aut dogmatibus orthodoxis. Quamvis enim Philosophiæ sua sit libertas et propria regio; prior amen limitibus rectæ rationis definiri debet, ne sentiendi libido evadat: posterior autem veritati fidei obstare nequit, cum hæc ipsa oppositio falsitatem alias prodat: 3°. Ut sit cauta in delectu opinionum, inter Christianos innocue controversarum, eamque eligat, quæ cum modo loquendi Ecclesiastico coheret; ab hoc enim recedere Catholico non licet absque temeritatis nota vel suspicione: 4°. Ut sit sobria in usu, ideoque nec præsumat naturali ratione evincere, quod sola revelatione constat; nec omittat e sua penu addere, quod in fidei dogmatibus ad illustrandum, in morum principiis ad confirmandum conferre poterit; nec tamen nimium Philosophiæ principiis ac principibus tribuat; cum ancillari illam non autem dominari oporteat; nec quæstiones et speculationes Philosophicas in Theologiam invehat; cum ea hinc sterilis ac inutilis evadat: nec etiam ratiunculas quascumque arripiat; cum frigidum alias et impotens fiat adminiculum.

243. *Dico III.* RATIO HUMANA, accepta pro Juris naturalis scientia, non mediocrem in Theologia usum obtinet. *Ratio* est; tum quia principia morum, quæ sive a Moyse in Tabulis sive a Christo in Evangelio prolata sunt, pleraque jam scripta fuerant in cordibus nostris, et a Jure naturæ ordinantur: tum quia qua ex parte Religio nostra est naturalis, per sese jus naturæ admittit; qua vero ex parte supernaturalis est, qua supposita revelatione et institutione, jus idem subintrat, et pro determinati status conditione obligare incipit: tum quia hanc juris materiam tanquam sibi propriam et ad Religionis officium pertinentem assumpserunt ex SS. Patribus quidem Clemens Alex. LL. 8. Stromatum, Tertul. Apolog. adv. gentes et LL. adv. Judæos ac Marcionem, Euseb. Demonstratione Evangelica, Lactantius LL. Institutionum, Ambros. LL. 3. de Officiis, Chrysost. Homiliis in Genesin, Augustin. LL. de Civitate Dei et cont. Faustum etc.: ex Interpretibus Alphonsus Tostatus, Cornelius a Lapide, Nicolaus Serarius, Estius, Pineda, Bonfrerius, Marius, Pererius, Lorinus etc.: ex Theologis S. Thomas LL. cont. Gentes et Sum. 2. 2., Sotus, Cajetanus, Medina, Sylvester, Victoria, Molina, Suarez, Lessius aliique innumeri.

Colligere hinc licet 1°. Penes ECCLESIAM esse, interpretari Jus naturæ, quod Moysis et Christi promulgatione evasit Divinum, eamque in hac interpretatione esse infallibilem: 2°. Sicut Ecclesia potestatem hanc sæpius jam exercuit damnando propositiones varias; sic ejus auctoritatem in hoc usu a Catholicis omnibus colendam reverendamque esse: 3°. Cavendum hic stu-

diosius, ut principia et dogmata hujus scientiæ vera sint ac sana: 4°. Tutissimam ea eruendi viam patere in libris sacris et Patrum Interpretum ac Theologorum lucubrationibus; cujus rei specimen ante vicennium *Theses Scripturasticæ Colonienses* dederunt.

244. *Dico IV.* RATIO HUMANA, sumpta pro Jurisprudencia civili, non caret utilitate, in Theologicis. *Ratio* est tum quia in materia justitiæ normam positivam aliunde, quam ex hoc jure, frequenter non habemus: tum quia in materiis aliis ab hac prudentia vel Jus naturale determinatur vel explicatur, vel augetur: tum quia Superioribus et Legibus etiam civilibus, nihil iniquum jubentibus, obediendum esse Jus naturale et Divinum præcipit.

Advertendum tamen: 1°. In causis spiritualibus et Ecclesiasticis attendi solum Jus canonicum: 2°. Inter personas Ecclesiasticas in causis etiam profanis præferri Jus canonicum civili: 3°. Si de conscientia et peccato agitur, ab omni Catholico servari Jus canonicum discrepans a civili: 4°. Legem civilem canonizatam, h. e. vel per observantiam vel per expressos Canones comprobata, obtinere in foro Ecclesiastico: 5°. Ubi jus alterutrum aut ex obscuritate aut ex casu præteritione deficit, deficiens suppleri ab altero: 6°. Occurrente antinomia legis et canonis in materia indifferente, quodlibet jus valere in foro sibi proprio.

245. *Observe.* Quod de *Jure naturali* dictum est, dici etiam cum proportionem potest de *Jure gentium*; quamvis recte pluribus titulis ab illo distinguatur. Præterquam enim quod cum aliis hæcenus memoratis in aliqua acceptatione humanæ rationis possit comprehendi; consideranti facile patet, quod analogam cum *Jure naturali* pro publicis gentium negotiis utilitatem in Theologia præstet: sed et hinc similibus illud cautelis limitandum esse, planissima illatione constat.

## ARTICULUS II.

*Quenam sint Historiæ humanæ commoda et cautela pro usu Theologico?*

246. *Nota.* Ut, quam appellationem a Cicerone accepit, HISTORIA dici magistra et lux veritatis mereatur, comites quidem Geographiam et Chronologiam, ducem autem artem Criticam habere oportet. Dividitur in Sacram et Profanam, prout gesta, quæ perscribuntur, ad unam alteramve rerum classem pertinent. De profana hic dicere nihil attinet, nisi quatenus cum sacra connectitur, hujusque seu partem constituit, seu notitiam illustrat: de sacra autem, quæ scriptores Canonicos pro parentibus habet, neque nunc dicendum restat; cum illuc pertinentia in prima de scripturis sacris Disputatione attigerimus; ut adeo de historia Ecclesiastica præcipuus nobis sermo relinquatur. Porro per sese liquet, sive ad cognoscenda facta, sive ad ea rite distinguenda, sive ad eadem in manu memoriaque habenda, commodum illud ingens, quod liberaliter confert Geographia æque ac Chronologia tam scientifica, quæ scilicet monumentis ex historia et mathesi depromptis locum annumque gestorum probat et determinat quam practica, quæ nimirum aut recensionibus, scriptis aut mappis tabulisque incisis eadem exhibet: unde, præter pauca Corollario innectenda, de neutra hic tractabitur.

Et contra vero, quamvis de ARTE CRITICA et rudimenta jam tradantur in Philosophia, et a nobis etiam, ubi de libris Canonicis et Patrum operibus egimus, nonnulla fuerint dicta, instituti tamen ratio videtur exigere, ut aliqua ad res Ecclesiasticas magis pertinentia subjiciamus. Nititur autem hæc ars, præter testimonium seu auctoritatem testium, quod est commune cum historia fundamentum, tanquam propriis suis principiis, et conjectura seu reflexione prudenti ad verosimilitudinis criteria; et traditione, non quidem divina aut Ecclesiastica, nec tamen mere vulgari, sed inter utramque media; et sensu aut observantia Ecclesiæ sive universalis sive particularis, quam vel ex Martyrologiis, Missalibus, Breviariis, Calendariis aliisque monumentis, vel ex solemnitatibus, moribus, memoriis aliisque institutionibus colligere datur.

247. *Dico I.* HISTORIA plurimum subsidii præstat sacræ scientiæ. *Ratio* est tum quia Religio per historiam primis mundi ætatibus tradita; a Moyse ad Christum usque conservata, abhinc in omnem terram ætatemque propagata fuit: tum quia Theologia per historiam accipit præcipua sua principia, maxime directiva; doctrinæ, disciplinæ ac rituum antiquitatem vel novitatem intelligit; dogmatum fidei ac principiorum moralium occasionem, certitudinem ac sensum discit; rerum Ecclesiasticarum originem, usum, constantiamque aut varietatem cognoscit: tum quia per historiam sæpe facilius quam per ratiocinationem docetur et discitur fides; solidius confirmantur dogmata; efficacius refelluntur errores; illustrius exponuntur mysteria; potentius persuadentur instituta; stabilius servantur ordinata.

Ut vero hic fructus sperari possit, nec recipere historiam quæcumque oportet, nec omnem historiam abjicere decet; sed prudens inter historias delectus est faciendus.

Porro *rejici* historia debet aut potest: 1º. quæ impossibilia aut aliena a verosimili narrat: 2º. quæ velut apocrypha aut sublestæ fidei damnatur ab auctoritate publica vel communi eruditorum sententia: 3º. quæ est vel anonyma seu incerti saltem et ignoti auctoris; vel pseudonyma, seu auctori cuiquam falso inscripta, vel scotonyma seu auctoris obscuri et nullius famæ: 4º. quæ multo post factum tempore primum enata, caret testium et monumentorum antiquorum auctoritate.

*Recipi* e contra meretur historia: 1º. quæ quamvis stupenda et naturam excedentia referat, fundamento tamen non caret pro miraculo: 2º. quæ judiciali auctoritate, aut consentiente scriptorum judicio firmatur: 3º. quæ coram multitudine rerum curiosa nec rei admodum favente contigit; aut in lucem similis multitudinis sine contradictione fuit divulgata, aut a scriptoribus refertur, quorum intererat illam silere vel labefactare: 4º. quæ ab origine fuit notissima et contestata a scriptoribus coævis.

*In delectu*: 1º. Pensanda est tum facti publicitas, celebritas et constantia; tum narrationis veritas, asseverantia et uniformitas saltem quoad substantiam; tum Scriptorum prudentia et probitas, ab affectu et partium studio immunitas, famæ et æstimationis celebritas. 2º. Præferre decet Historicos præsentis et ex visu testantes absentibus et auditu duntaxat edoctis; coævos aut supares posterioribus et ætate se junctis; veteres demum, si æqualibus dotibus polleant, junioribus aut recentibus. 3º. Inter eosdem unus aut alter, qui factum refert, audiendus est potius, quam qui de eo silent; negantibus

autem aliis, eundem audiri non convenit: variantibus aut discrepantibus inter se scriptoribus pluribus, ex solo numero fides non est decernenda; sed vel ad qualitates testium vel ad alia critices subsidia recurrere oportet.

248. *Dico II.* Ars CRITICA utilitatem habet in Theologicis, non tamen indefinitam. *Ratio primi* est tum quia Theologia non minus crisi sanoque judicio opus habet quam recta ratione: tum quia germana critice præter textus sensusque genuini demonstrationem, veterum monumentorum authenticam et testium scriptorum auctoritatem exponit: tum quia prudentes eruditorum animadversiones, populorum persuasiones et Ecclesiarum opiniones sacram scientiam juvant et illustrent. *Ratio secundi* est tum quia sacram litterarum sensus, librorum auctoritas judicio Ecclesiæ, non crisi humanæ, examinanda divino jussu ac privilegio est tradita: tum quia critice, quod facillime fit, limites sibi fixos transvecta in sacrum tribunal inducit privatum spiritum; simplicitatem fidei ac certitudinem evertit, Ecclesiam opinantis, dubiis aut divinationibus implet: tum quia ars hæc posteriore primum ætate nata, neque nunc etiam certis omnino regulis firmata, et abusibus hactenus potius quam prosperis effectibus famosa, utilitatem indefinitam habere aut promittere nequit.

Ubi tamen crisi locus esse potest, advertendum est quidem: Circa *Conjecturam*: 1º. Non sufficere, quod ea rationi non adversetur; sed requiri, ut argumento positivo nitatur: 2º. Conjecturæ vim vel ex intrinsecis historiæ principis vel extrinsecis sapientum de ea judicio ponderari: 3º. Si firma sit et partem contrariam exploret vincat, certitudinem quamdam nancisci: 4º. Conjecturæ hujusmodi eedere auctoritatem incertam; vicissim autem ab hac illam superari, si auctor fide dignus nec contradictionem coætanei expertus, rem diserte et citra ambiguitatem affirmet: 5º. In auctoritatis et conjecturæ æquilibrio præsumi pro veritate historiæ; cum auctoritas e possessione deturbari nequeat, nisi argumentis certis.

Circa *Traditionem et sensum Ecclesiasticum* autem: 1º. Nihil in his tolerari superstitiosum, vanum aut inutile; nihil nocens, indecorum aut ridendum; nihil incredibile, contradictorium aut fabulosum; nihil absonum ab usu temporum aut dignitate hominum, quibus actio vel res tribuitur: 2º. Debere legitime posse præsumi, res vel actiones easdem diuturnitate vel usu non fuisse adulteratas, nec etiam primum cœpisse absque ratione sufficiente, quamvis ea nunc designari nequeat: 3º. Requirit, ne scriptores coævi, antiqui, aut alii auctoritate pollentes illas impugnarint vel damnarint; aut difficultates obstant, quæ nequeant solide elidi.

Circa ipsam *crisin* denique: 1º. Non esse transiliendos limites humanæ disquisitioni fixos supra designatos; nec negandam submissionem judicio Ecclesiæ; nec omittendam reverentiam antiquitati merito æstimatæ debitam: 2º. Communius acceptata vel antiquitus indubia non esse abjicienda vel ex conjecturis levissimis vel ex argumento mere negativo; sed ad hoc requiri argumenta convincentia: 3º. Nihil concedendum esse effectui cuiquam sinistro; nihil detorquendum male, arguendum præcipitantius aut exaggerandum invidiosius; non facile etiam credendum criticis, affectus hujusmodi vel defectus prodentibus.

249. *Obserca.* Pro commodo ex *Geographia et Chronologia* capiendo, non tam faciunt regulæ, quam librorum *notitia*, in quibus Theologus subsidium paratum inveniat. Inter hoc vero **pro** intelligendis Vet. Novique Testamenti Codicibus serviunt præprimis **Theatrum** Terræ sanctæ ab ADRIANO ADRICHOMIO editum, Mappæ Geographiæ sacræ a NICOLAO SANSON tabulis tribus incisæ, duo item volumina SAMUELIS BOCHARDI, Geographiam Terræ sanctæ complexa : pro historia primitivæ Ecclesiæ cognoscenda prodest ex veteribus Geographia tum STRABONIS tum PTOLEMÆI ; ex recentioribus PHILIPPI FERRARI Topographia in Martyrologium Romanum et ARNOLDI MEERMANNI Theatrum conversionis gentium totius orbis : pro dignoscendis rebus Ecclesiasticis a Constantini ætate usque ad Honorii tempora præstat, quæ antonomastice dicitur, *Notitia* utriusque Imperii sub initium seculi 5. scripta, a GUIDONE PANCIROLO notis illustrata ; cui adjungi potest Index Geographicus editioni Conciliorum Labbeanæ subjectus : pro noscendis Ecclesiis ad quinque Patriarchatus pertinentibus consuli præsertim merentur Geographia CAROLI VIALAR, olim dicti a S. PAULO, Ep. Abrincensis, Jus Græco-Romanum JOAN. LEUNCLAVII, Officia Ecclesiæ Constantinopolitanæ GEORGI CODINI, ac demum *Notitia* Episcopatum AUBERTI MIRÆI : pro hodierno tandem statu Episcopatum discendo, præter postremi memoratam *Notitiam*, Politiam et Geographiam Ecclesiasticam, conducit Apparatus ad novam Conciliorum editionem, auctus ab HARDUINO, et correctior a COLETO Venetiis editus.

*Chronologiæ* *notitiam* suppeditant SCALIGER de Emendatione temporum, CALVISIUS in *Chronologia*, BEVEREGIUS in *Institutionibus Chronologicis*, PETAVIUS in *Rationario* et in *Doctrina temporum*, RICCIOLIUS in *Chronologia reformata*, SALIANUS et USSERIUS in *Annalibus*, BRIETIUS in *Chronico universali*, aliique tum antiqui tum recentiores, quorum amplissimos labores brevi libello complexi sunt MUSANTIUS in *Tabulis Chronologicis* et CALMETUS in *Chronologica Epitome*. Ex his autem alter alterum correxit sæpius, aut diversam annorum seriem ordinavit, partim quod ipsi scriptorum primævi fontes deficerent, variarent, vel fluctuarent ; partim quod epocharum, ærarum, periodorum aliarumque notarum Chronologicarum initia, ordo ac usus incerti varique forent : unde sub extremum valeat hæc Genebrardi observatio : In *Chronologicis* satis est, si probabilissimum veroque proximus calculus teneatur.

## APPENDIX I.

## DE HERESIBUS IN ECCLESIA SUBORTIS.

250. *Nota.* Ex historicis pro Theologia subsidiis restat *notitia* de sectis erroneis ; quæ quamvis sparsim et pro opportunitate materiæ in *Institutionibus Theologicis* etiam amplior detur, eam tamen pro Principiorum Adjuvantium supplemento hic adjungendam duximus, ut et aliorum morem imitemur, et hanc Theologiæ eruditionis partem desiderari haud patiamur. Sectarum hujusmodi, ut de *Virt. Theol.* dicemus, tres universim classes numerantur, Paganismus nempe, Judæismus et Hæresis. Ad *Paganismum* referuntur Athei, Deistæ, Polythei et Mahumetani ; sub *Judæismo* comprehendebantur olim Samaritani, Sadducæi, Pharisei, Hemero-baptistæ, Herodiani, Galilæi cum Nazaræis et Essenis, utriusque Ecclesiæ communibus ; nunc

verò Judæi in Caritas traditionem respicientes et Rabbinitas illam recipientes scinduntur : *Hæreses* in Ecclesia Christi invaluerunt plures, quam ut paucis eas titulis recensere liceat, nisi forte ad certos fidei articulos, quos principaliter negarunt, eos reducere liberet.

Porro sicut in Disp. 2<sup>a</sup>. a prioribus duabus partibus oppugnandis abstinuimus, sic neque nunc in iis uberius referendis detinebimur ; partim quod errores earum characteristici vel ex ipsomet nomine vel ex alibi dictis jam constant, alii vero inter hæreses etiam occurrant : partim quod sectariorum illorum apud nos vel minor sit frequentia vel rarior oppugnandi occasio ; unde et titulum de solis hæresibus inscripsimus. Acturi autem de his, eruditioni id dabimus, ut plerasque secundum seculorum seriem, annotatis nomine, auctore et anno, atque erroribus præcipuis indicatis referamus : brevitatibus autem studio id concedemus, ut minus famosas nec postea reviviscentes suis in tenebris relinquamus ; vitam hæreticorum et mores historicis enarrandos relinquamus ; oppugnatores etiam, damnatores ac iudices hæresum, utpote magnam partem in recensione Conciliorum, Pontificum et Patrum jam annotatos, hic prætermittamus.

## SECULUM I.

SIMONIANI, dicti a Simone Mago, an. 40. Docebant mundum ab Angelis, Legem a sinistra Intelligentia conditam ; Christum apparenter duntaxat passum ; dari metempsychosin ; resurrectionem carnis non fore ; promiscuum foeminarum usum licere ; nulla opera bona requiri.

A Simonis discipulis, pauca mutantibus, provenerunt MENANDRIANI, qui immortalitatem corporum promittebant in nomine Menandri baptizatis, DOSITHEANI, GLEOBANI, GORTHENI, MASBOTHEI, ADRIANISTÆ, EUTYCHISTÆ, CANISTÆ ; quorum omnium brevissima duratio erat.

CERINTHIANI, a Cerintho proselyto ex Judæismo, an. 51. Statuerunt Angelos mundi conditores adorandos ; Jesum distingui a Christo, illumque commercio maritali natum, passum, necdum resurrexisse ; hunc sub columbæ specie descendisse ; et sub passionem discessisse ; abjecto, præter Evangelium Matthæi, nec illud integrum, novo Testamento, servandam legem Mosaicam ; baptismum pro mortuis non baptizatis suscipiendum ; fore millenarium regnum deliciis carnalibus abundans, post resurrectionem, Hierosolymis agendum.

NICOLAITÆ, a Nicolao Diacono, non quidem auctore, sed occasione, an. 65. Præter errorem de conditoribus mundi barbaronymis, volebant licitam idolothytorum comestionem ; scortationem ac indifferentem uxorum usum non tantum licitum, sed et meritorium et ad salutem necessarium.

EBIONITÆ, ab Ebione, sive voce *mendicum* significante, sive persona sic appellata, an. 72. Credebant Christum ex conjugio Josephi et Mariæ carnali natum ; obligant ad legalia ; virginitatem rejiciebant ; permittebant uxorum pluralitatem.

NAZARÆI, item ESSÆI, aut ESSENI cir. an. 82. erant e Synagoga Christiani ; qui sicut fidei in Christum addebant necessitatem observationis legalium, ita sectis antiquis appellari potius amabant, quam dici Christiani.

Hujus seculi hæreticis addi a quibusdam solent CAPHARNAITÆ discipulatum Christi deserentes ob crudiorē comestionis Eucharisticæ acceptionem :